



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

X. An intellectio vt sic essentialiter postulet concursum effectuum
potentiæ vitalis it a vt ea ne miraculose possit à solo Deo produci?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

proprie, & rigo rosè viam ad terminum, siue effectum: quot enim locorū spatia, quot flexus, atque anfractus, quot montium, valliumque discrimina causam ab effectu praesertim sibi intrinseco separant: tantum ergo improprie, ac metaphoricè actio dicitur via ad effectum suum; quia nimirum agens sine illa ad effectum peruenire, eumque consequi non potest, sicuti si non pateat via, & adius ab extremo ad extremum sanè non poterit quis ab vno eorum ad aliud peruenire, illudque tenere. Porro vt actio sit metaphoricè, & translaticè via, media qua causa peruenit ad effectum, eumque consequitur, satis est vt actio ab effectu ratione nostra distinguatur, quantumlibet via propria, & localis ab extremis, quæ interior, realiter distinguatur. Quæ cum ita sint, quidni possibilis sit intellectio, cuius actio, quantumvis via quodammodo ad illam, ab ea tamen sola ratione, non verò realiter sit distincta.

Alterum etiam argumentum, cui nituntur aduersarij, perquam est imbecille. Quemadmodum enim potentia actiua, vt actiua, ab actione possibili, per quam tanquam per formam constituitur, vt plures censent distinguitur realiter inadæquatè, non autem realiter adæquatè; ita similiter potentia agens, vt agens, eadem de causa distinguitur ab actione exercita, non tam realiter adæquatè, quam distinctione reali inadæquata. Quod si actio, & terminus idem sint, consequenter potentia actiua, vt actiua, à termino suo, siue effectu prout possibili distinctionem fortietur realem inadæquatam: ac pari ratione & distinctione, secerneretur potentia agens vt agens ab effectu vt exercito. Caterum aduersarij non probant, nec possunt probare, potentiam actiuam, aut etiam agentem quatenus talem debere esse ad aliud à se realiter adæquatè distinctum. Fateor tamen, si quod probabile est, potentia actiua transcendentaliter refertur ad suos effectus, aut, quod perinde est, si est omnino intrinsecè, & essentialiter actiua, eo ipso illam esse ad aliud à se realiter adæquatè distinctum. At non propterea potentia agens per actionem à se distinctam erit ad aliud à se realiter adæquatè distinctum, cum in ratione agentis ipsam actionem, ad quam refertur, necessariò inuoluat; denominatioque agentis ei intrinseca omnino, & essentialis non sit, sicut denominatio illa, qua actiua dicitur.

Tandem quintæ, & sextæ assertioni nostræ quidam refragantur, & sic aduersus eas arguunt. Intellectio, qualiscumque sit, longè perfectior est candore v.g. atqui candor non vnitur per seipsum parietis, nec cum eo essentialiter connectitur: à fortiori ergo intellectio, quæ vt perfectior candore sic eo magis absoluta à subiecto, magisque independens esse debet, ei non poterit per seipsum essentialiter vniri, cum eoue connecti. Quo etiam argumento concludi potest, intellectionem multo minus seipsa connecti posse cum intellectu velut cum subiecto informationis, ac simul etiam velut cum causa efficienti. Arguunt secundo aduersarij contra easdem assertiones. Si eadem indiuisibilis entitas intellectiones esset simul qualitas intentionalis, siue similitudo ac imago obiecti, necnon actio vitalis, atque etiam passio, siue vnio sui cum subiecto, sanè simul pertineret ad tria prædicamenta, nempe ad prædicamentum qualitatatis, & illud quod est actionis, atque etiam ad passionem prædicamentalem. Consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur.

Nihil tamen ponderis est in his impugnationibus. Ad primam earum facilè dici potest, intellectionem, quantumlibet essentialiter connexam cum intellectu, aut velut cum subiecto cui seipsa vnitur, aut velut

cum causa efficienti à qua per seipsam proficiscatur, aut vtroque simul modo; aliis tamen ex capitibus posse esse perfectiorem candore & similibus qualitatibus absolutis: haud aliter ac vnio hypostatica, quamuis forma quædam modalis sit, formas tamen substantiales absolutas sin minus omnes, saltem multas perfectione superat. Ad secundam impugnationem contrariam dicendum est, non inconuenire, nec absurdum esse, si eademmet realiter entitas non solum ad tria prædicamenta spectet, verum etiam ad trecenta, si darentur. Hactenus toto hoc tractatu de essentia intellectionis quoad id an consistat in intellectu ipso & obiecto, an in qualitate, aut actione, &c. Porro eandem intellectionis essentiam quoad alias eius conditiones, & terminos sequentibus capitibus huiusmet tractatus explicare pergo.

CAPVT X.

An intellectio vt sic essentialiter postulet concursum effectiuum potentia vitalis, ita vt in ea, ne miraculosè possit à solo Deo produci?

Capreolus, Ferrara, & alij Thomistæ suprà in impugnatione quintæ sententiæ de natura intellectionis relati censent, intellectionem, vt intellectio est, ne diuinitus quidem existere posse in intellectu absque concursu, & actione illius; nimirum quia intellectio omnis est formalissimè actio ipsa per quam intellectus exprimit in se imaginem obiecti, eiusque verbum sibi ipsi loquitur: caterum non inficiantur terminum eius actionis, quem intellectionem esse renuunt, de potentia Dei absoluta collocari posse in intellectu absque illius effectione, & concursu vitali; ita tamen vt intellectus per illū minimè intelligeret. His annumerandi sunt Suar. & Hurtad. vbi suprà, qui, tamen si terminum actionis intellectiua in intellectu absque huius concursu effectiuo diuinitus posse censcant; non tamen intellectionem; quippe quam non solum in termino intellectu, verum etiam in eius actione, & passione sitam esse arbitrantur.

Contrà tamen sic argumentor. Intellectio vt sic non consistit in actione, aut sola, aut simul cum termino sumpta, sed nonnunquam in solo termino facta recta conseruatur: quamuis ergo actio intellectiualis sine actione omni in intellectu reperiri nequeat, inde tamen non sequitur illicò, intellectionem non posse in intellectu absque eius actione existere posse: quapropter fundamentum quo innituntur aduersarij nullum est, vt constat ex iis quæ supra inter quintam, & octauam sententiam de essentia intellectionis profligandas adduximus. Deinde, vt ibidem ostendimus, vtque eodem redit, qualitas terminans actionem immanentem intellectus, prout ab hac condistincta, est intellectio ac se sola, & seorsim ab actione intellectui effectum suum formalem, & denominationem intelligentis potest tribuere: cum ergo eiusmodi qualitas iuxta aduersarios diuinitus collocari queat in intellectu absque vilo eius concursu effectiuo, sanè etiam intellectio sine vilo tali concursu in eo poni, eumque intelligentem reddere apprimè poterit.

Alij, quorum meminit P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. quæst. 3. art. 2. disp. 9. cap. 5. num. 18. timentur, qualitatem, quæ cognitio, aut volitio est, in ratione quidem qualitatis diuinitus poni posse in intellectu eam nullo modo producente: at si consideretur ea qualitas, non vt qualitas præcisè est, sed prout cognitio, sic

sic eam collocari non posse in intellectu absque actione, quam ut qualitas, simulque, ut cognitio terminat, ac præsupponit. Hæc etiam sententia facile conuelli potest. Namque in primis iuxta eius assertores non solum qualitas illa, ut qualitas est, verum etiam prout habet rationem cognitionis, aut intellectus ab actione productiua sui realiter distinguitur: quemadmodum ergo, ut qualitas est, ab actione immanenti separari potest, atque in intellectu nihil omnino agente, sed potius mere passiuè se habente collocari; cur etiam prout cognitio separabilis non sit ab eadem actione sui productiua, & absque illa in intellectu possibilis? Ad hæc, qualitas ab intellectu producta, ut qualitas est, non distinguitur realiter à seipsa, prout cognitio est, sed ad summum virtualiter, aut ratione nostra: qui ergo fieri potest, ut ratio quantitatis à ratione cognitionis secus identificata, realiter separari, & absque illa alicubi poni possit? & quidem, si potest, haud conspicio, cur candor, tametsi sine pariete conservari, & absque illo alicubi esse queat, ab eo tamen realiter distinguatur.

108 Alij etiam, quorum mentionem facit P. Vasquez ubi paulo supra num. 20. Docent, qualitatem illam, quæ intellectio dicitur, aut volitio, non esse essentialiter connexam cum actione, aut efficacia facultatis intellectus determinatæ, aut etiam vagæ, & indeterminatæ sumptæ: quinimò absque illa posse supernaturaliter qualitatem illam siue intellectiōem à solo Deo poni in subiecto alieno, & intelligendi prorsus incapaci, cuiusmodi est lapis, aut lignum: ceterum ne diuinitus fieri posse ut qualitas illa, siue intellectio in intellectu absque huius concursu effectiuo ponatur: quia, inquiunt, hinc foret, ut intellectus in tali euentu intelligeret quidem, eo quod intellectio vnita subiecto capaci non possit, non tribuere suum effectum formalem; & rursus non intelligeret quia intelligere est viuere, & attendere ad obiectum, quæ duo satis intelligi non possunt absque conatu, & efficacia intellectus. Ceterum eiusmodi prædicata contradictoria nequiquam sequerentur ex eo quod lapis v. g. aut lignum qualitatem illam diuinitus susciperent, ut intuenti constabit.

109 Hæc quoque opinio priori solidior non est, facileque potest momento euerri. Primò namque intellectio constituta in lapide secundum totam suam essentiam à solo Deo esset producta, iuxta aduersarios: haberet ergo tunc causam efficientem adequatam: ergo ut iterum poneretur in intellectu, non indigeret alia causa efficiente, à qua de nouo produceretur: effectus enim habens iam causam efficientem adequatam, alia causa efficiens non eget; aliàs iam prior eius causa efficiens adequata non esset, utpote quæ alterius causæ efficientis consortio ad producendum effectum egeret: ut ergo intellectio illa in lapide constituta poneretur in intellectu, subiectoque sibi connaturali, haud indigeret concursu effectiuo ipsius intellectus, sed solum concursu eius passiuo, siue in genere causæ materialis, ut dictum est. Poni ergo potest diuinitus in intellectu, quin hic ad illam in genere causæ efficientis concurrat; præcise per hoc quod in genere causæ materialis ad eam concurrat: iam ergo hi Authores ex eo quod concedunt ad id quod negant inuitabili consequentia deducuntur.

110 Præterea longè plus requiritur ad producendam intellectiōem in subiecto extraneo, & sibi non connaturali, quam ad eam producendam in subiecto extraneo, & sibi non connaturali, quam ad eam producendam in subiecto proprio sibi que debito: illudque prius multo difficilius est, quam hoc posterius:

haud aliter ac operosius, difficiliusque est, formam ignis extra centrum, seu locum naturalem, quam in centro producere, & conseruare, eamque in subiecto humido, & frigido tueri, & continere, quam in subiecto sibi connaturali, calidoque, & sicco. Atqui potest Deus producere, & conseruare intellectiōem in lapide v. g. Absque concursu effectiuo vilius causæ creatæ, ut farentur aduersarij: ergo etiam poterit à fortiori producere intellectiōem in subiecto sibi connaturali, idest in intellectu absque vilius causæ creatæ efficacia, ac proinde sine ipsius intellectus effectiuo concursu. Si enim quod magis operosum, ac difficile est operari potest sine concursu effectiuo intellectus, aut alterius creaturæ, cur id quod minus operosum, ac difficile est, videlicet constituere intellectiōem in intellectu ad illum suapte natura propendente operari nequeat, asque confortio, & concursu vilius causæ efficientis creatæ.

111 Rursus iuxta hos Doctores idcirco intellectio à solo Deo in lapide constitui potest, quia lapis est subiectum intelligendi incapax. At si Deus solus absque efficacia vilius causæ creatæ intellectiōem in intellectu constitueret, illam sanè in subiecto intelligendi incapaci collocaret: non est ergo cur eam ita non possit in intellectu collocare. Minor, quæ solum probatione eget, hæc ratione probatur: intellectus iuxta principia horum Authorum intelligere nullatenus potest absque actione immanente terminata ad intellectiōem: ergo sine illa actione est subiectum incapax intelligendi, atque adedò Deus se solo, & absque actione, & efficacia intellectus in eo intellectiōem constituens, illam in subiecto intelligendi incapaci constitueret.

112 Quocirca debuissent aduersarij iuxta sua principia affirmare, alteram tantum contradictionis partem sequi ex positione intellectiōis in intellectu merè passiuè se habente, nimirum quod intellectus nullo modo obiectum cognoscere, huiusque denominationis omnino incapax esset ob defectum actionis immanens: non aliter ac intellectio constituta in lapide, quæ est huius incapacitas, eum intelligentem nullatenus redderet. Tandem absolutè verius est, intellectum absque vilo concursu effectiuo in intellectiōem per eam intelligere posse: quatenus autem intellectus vi intellectiōis solum in se receptus viueret, attenderetque ad obiectum, ac proinde quam leue sit fundamentum, quo ad contradictionem virgere nos conantur isti Auctores paulò inferius constat.

113 Alij vltimè, quos sequitur P. Vasquez ubi supra disputatione illa nona. C. 5. tuerentur absolutè quidem, & nulla facta mentione de alieno subiecto, & ad intelligendum incapaci, ne diuinitus fieri posse, ut intellectio ponatur in intellectu absque concursu actiuo illius, quantumvis intellectio iuxta ipsos in sola qualitate ab omni actione distincta consistat. Mouentur autem hoc argumento: si intellectio constitui posset in intellectu absque actione, & concursu effectiuo illius, sanè intellectus in tali euentu intelligeret, cum sufficientia formæ, & capacitas subiecti tum minimè deesset, Atqui intellectus ne diuinitus intelligere potest absque actione, & concursu effectiuo in intellectiōem: ergo neque illam recipere. Quod autem intellectus absque efficacia propria diuinitus intelligere nequeat probatur.

114 Primò quia implicat contradictionem, intellectum intelligere, & non attendere ad obiectum quod intelligit: ac attendere formalissimè importat actionem, & conatum intellectus: sine his ergo implicat intellectum intelligere. Secundò, quia repugnat intelle

intellectum intelligere, & non vivere hoc ipso quod intelligit: sed vivere est agere, & moveri ab intrinseco: ergo repugnat intellectum intelligere; quin agat, & immanenter operetur. Tertio; diuinitus etiam fieri nequit, ut voluntas amet; quin amor eius ei voluntarius sit: amorem autem, aliud quoduis esse voluntarium est esse à principi, intrinseco cum cognitione, atque adeo immanenter agi: fieri ergo non potest, ut voluntas amet absque eo quod amorem suum immanenter producat: cumque par intellectus, & voluntatis hactenus ratio sit, certè intellectus etiam quin agat, intelligere nequit. Maior autem huius syllogismi per se manifesta est, quid enim voluntarium essentialiter erit nisi voluntatem diligere, & amare voluntarium sit. Huc spectat illud B. Thomæ 2.2. quæst. 23. art. 2. corp. *ibi non enim motus charitatis ita procedit à spiritu sancto mouente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, & nullo modo sit principium huius motus, sicut cum aliquod corpus mouetur ab exteriori mouente. Hoc enim est contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipso esse, sicut supra dictum est. Unde sequeretur, quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem, cum amor de sui ratione importet, quot sit actus voluntarius.* Hæc B. Thomas.

115 Quarto quia si posset intellectus intelligere absque concursu actiuo in intellectionem, certè non esset cur humanitas Christi non posset intelligere per intellectionem verbi diuini: potissima enim ratio, ob quam humanitas Christi subsistens per subsistentiam Verbi, per eius tamen intellectionem censetur non intelligere est, quod nequit ea facultas intelligere nisi quæ intellectionem immanenter agit: cum ergo humanitas Christi intellectionem increatam Verbi agere nequeat, sane per eam intelligere non poterit. Hæc autem ratio funditus corruet si posset intellectus intelligere absque actione immanente: aut ergo hoc negandum est, aut non negandum, quod omnes ferè Theologi negant humanitatem Christi intelligere posse per intellectionem increatam Verbi cui hypostaticè vnitur.

116 Quinto si intellectus noster intelligere posset per intellectionem à se improductam, & voluntas itidem amare per amorem à se non elicitum, fieret quidem indissociabili consequentia, ut possibilis esset creatura aliqua intellectiva suapte natura, quæ tamen intellectionem suam producere non posset, & volitiua etiam, quæ non solum amorem suum non produceret, verum etiam eius neuiquam esset productiua. Consequens autem est absurdum: ut per se apparet, utque inde etiam constat quod intellectio eius creaturæ nec in actu primo nec in actu etiam secundo vitalis esset, parique ratione nec formaliter nec radicaliter ad suum attenderet obiectum: vitalitas enim & attentio concursus effectiuum & conatum intellectus important; quos tamen nec in actu primo nec in actu secundo, nec formaliter nec radicaliter ea creatura connotaret. Similiter etiam amor eius creaturæ non solum propriè, eo in actu secundo voluntarius non esset, sed etiam neimpropriè quidem, aut in actu primo.

117 Sexto: si voluntas amaret per amorem à se improductum, tunc cognitio dirigeret, & non dirigeret voluntatem ad amandum, quæ contradictoria sunt, & consequenter voluntatis sine actione immanenti amantis contradictionem arguunt, ac repugnantiam: unde etiam fit, quod repugnet similiter intellectum intelligere sine eo quod intellectionem immanenter agat. Dirigeret quidem cognitio voluntatem ad amandum eo in euentu, quia in nullo potest voluntas

amare absque directione cognitionis: propterea enim requiritur essentialiter cognitio ad amandum, ut ad amandum dirigat, uti manifestum est: tam ergo repugnat, voluntatem amare sine directione cognitionis, quam amare absque cognitione. Rursus cognitio non dirigeret, nec excitaret voluntatem ad amandum in ea hypothesi, qua supponimus ipsam nihil agere, quia cognitionem dirigere, & excitare voluntatem est eam illuminare ut aliquid agat vi eius illuminationis suæ illustrationis: seclusa autem quacunque eius actione, & efficacia, ad quid eam cognitio dirigere, & excitare posset: aut quo pacto non esset otiosa, & frivola ea cognitionis directio: sicut frustra omnino, & supernuacaneè dirigeret quis cæcum ad ambulandum, si hic præter cæcitatæ malum claudicaret, actionemque deambulandi non posset exercere.

118 Confirmatur, & declaratur. Si voluntas posset diuinitus amare per amorem in se receptum, atque à se non productum. sanè poterit Deus infundere voluntati amorem proprio signo naturæ ad omnem cognitionem: nec enim debet antecedere cognitio actionem amoris à voluntate profectam, quippe quæ nulla daretur in euentu de quo loquimur: nec etiam actionem amoris à solo Deo provenientem: ut enim Deus agat amorè creatum non à cognitione creata sed à cognitione propria, & increata dirigitur, ac proinde sola hæc antecedere debet productionem amoris à solo Deo efficienter pendentis. Porro autem cognitio in eo euentu non dirigit voluntatem ad amandum, tamen illa reuera amet: siquidem denominatio amantis in sola voluntate, & amore ei vnito consistit formaliter, atque aded cognitionem in hypothesi facta antecedere debet prioritate quidem naturæ, ac rationis: cognitio igitur non dirigit ad denominationem illam tribuendam, quam iam tributam præsupponit: ea enim directio fera esset, atque inutilis. En quatenus ex voluntate habente se mere passiuè ad amorem sequitur, eam posse amare, quin dirigatur ad amandum à cognitione vlla, cum tamen alia ex parte alicuius cognitionis directionem esse necessariam ad denominationem amantis, & per se manifestum sit, & superius ostensum.

119 Hæc tamen opinio, quamuis tot innixa fundamentis, haud agrè potest eueri. Ad primam rationem pro ea adductam respondeo, distincta duplici intellectione, altera actiua, qua videlicet imago obiecti in intellectu exprimitur, siue efficitur, altera passiuæ, qua circumscripta omni vera actione intellectus, intentionaliter assimilatur obiecto per eius imaginem in se receptam: deinde etiam distincta duplici attentione, altera Physica, & propria, quæ conatum, & efficacitatem intellectus importat, altera intentionali, & impropria, qua intellectus per imaginem obiecti in se receptam in obiectum intentionaliter fertur, siue tendit, eique quodammodo præfens fit. His igitur præmissis intelligere actiue attentionem Physicam, propriamque inuoluit, atque aded actionem immanentem intellectus; dempta qua ne diuinitus potest intellectus eo pacto intelligere: ceterum passiuè intelligere non inuoluit essentialiter attentionem Physicam, & propriam, siue conatum verum intellectus, sed duntaxat attentionem intentionalem, atque impropriam: ac proinde interueniente hac sola attentione absque illa priori in actione sita fieri poterit diuinitus, ut intellectus intelligat.

120 Ad secundam etiam rationem contrariam respondeo, distincta etiam duplici vita, altera scilicet Physica, altera intentionali: vita physica consistit in mo-

tu vero ab intrinseco, nec quocunque, sed eo quo quis de loco in locum indeterminatum, & quem voluerit mouetur, aut per intus sumptionem augetur, aut cognitionem, & amorem in se efficit: vita intentionalis sita est in sola obiecti perceptione seorsum à quouis motu ab intrinseco siue actione immanenti neque non in obiecti percepti prosecutione, aut fuga. Distinguenda etiam est ut supra sapsè, duplex intellectio, altera actiua, & passiuæ altera, quarum prior in vero motu ab intrinseco non verò posterior consistat. Quibus suppositis, intellectus per intellectiorem in se duntaxat receptam non actiue: sed passiuè viueret, atque adeo non physicè, sed intentionaliter censeretur viuere, ad quod genus vitæ actio immanens non requiritur.

121

Ad tertiam rationem contrariam similiter respondeo, in euentu, quo voluntas per amorem in se duntaxat receptum amaret, fore ut eius amor esset voluntarius etiam in actu secundo, non physicè, sed intentionaliter, sicuti de vita physica dicebam: ad id autem genus voluntarij necessum non esse, ut actus voluntarij sit ab intrinseco, aut actionem immanentem terminet, sed satis, superque esse ut per eum voluntas sponte sua in obiectum feratur, illudque amplectatur. Adice, tria argumenta facta vel nihil probare, vel certè id conuincere aduersus Patrem Vasquez, intellectiorem, & amorem ut sic non in sola qualitate, ut ipse arbitratur, sed in qualitate, & actione, & passione esse sitam: namque intellectiioni essentialiter esse videtur, quod sit attentio: atqui attentio est conatus, & actio intellectus, intellectio ergo non solum aliqua, ut nos supra fassum sumus, sed ut sic & vniuersaliter sumpta erit essentialiter conatus, & immanens actio. Rursus intellectiioni essentialiter est, quod sit vita: ergo & quod ut sic sumpta sit motus ab intrinseco, siue actio in genere immanentium. Præterea amori nihil iuxta ipsum P. Vasquez magis essentialiter est, quam quod sit voluntarius: ratio autem voluntarij consistit in esse ab intrinseco cum cognitione: amor ergo essentialiter, ac per seipsum est ab intrinseco, atque adeo veram actionem includit.

122

Ad quartam rationem contrariam respondeo: si intelligere actiue sumatur, & petinde sit atque exprimere, siue efficere in se imaginem obiecti, fieri etiam diuinitus nequit, ut humanitas Christi per intellectiorem verbi intelligat: intellectio enim Verbi non potest esse actio, per quam humanitas assumpta denominetur agens immanenter, ut est certo certius. Quod si intelligere non actiue, sed quasi passiuè sumatur, quod humanitas Christi non possit ita intelligere per intellectiorem Verbi, non ideo est, quia intelligere nulla res potest absque actione immanenti, sed quia intelligere, etsi non sit semper agere, tamen idem semper est, ac vel agere, vel certè subiectum intelligendi capax intellectiorem recipere, sibiue vnitam habere: quamuis autem humanitas Christi intellectiorem Verbi sibi vnitam habeat, intelligendi tamen per eam incapax censenda est ob rationes communes Theologorum aut certè ob alias à nobis suo loco proponendas.

123

Ad quintam rationem contrariam respondeo, nullam esse contradictionem, aut repugnantiam terminorum in substantia illa creata, quæ intellectiua, & volitiua sit, quin intellectiõis, aut volitiõis suapte natura sit productiua. Quod autem in contrarium adducitur, talem substantiam, nec, cum intelligeret, habituram attentionem aliquam ad obiectum à se intellectum, nec, cum veileret, habituram amorem voluntarium; nec etiam vllatenus victuram intelligen-

do, aut volendo, paulò supra solum est in simili: doctrinaque ibique tradita huic loco adeò conuenit, ut in ea huc vltius applicanda operam ponere superuacaneum esse mihi videatur.

124

Sexta, & postrema ratio contraria postulat, ut explicemus, qua ratione cognitio dirigat voluntatem ad amandum, esto voluntas supponatur se habere merè passiuè ad amorem, eamque non agere, neque efficere vi cognitionis, qua illuminatur. Dicitur igitur primò potest, directionem cognitionis ad amandum consistere in eo quod voluntas nequeat recipere amorem, per eumque amare quin cognitionem habeat obiecti, posse verò è contrario cognoscere obiectum, quin illud amet: hæc ergo prioritas logica, siue in subsistendi consequentia sufficit ad hoc ut cognitio ad amandum dirigat, esto voluntas vi cognitionis eam illuminantis amorem non efficiat. Quod si aliquando, ut voluntas diuinitus amare nequit, quin obiectum cognoscat, sic etiam intellectus aut naturaliter, aut etiam de potentia absoluta cognoscere nequeat, absque eo quod voluntas amet; atque quod raro euenit, ab amore ad cognitionem, & simul etiam à cognitione ad amorem teneat consequentia; nihilominus tum etiam cognitio diriget ad amandum: videlicet quia ex conceptu communi cognitionis, & amoris valet consequentia ab amore ad cognitionem, non è conuerso: in hunc modum: voluntas amat, ergo cognoscit; non tamen, voluntas cognoscit, ergo amat. Quare quod spectata natura huius cognitionis, & amoris, consequentia sit vtrinque reciproca, per accidens est, est parum interest ad directionem impediendam.

125

Secundo dici potest, idcirco cognitionem dirigere voluntatem ad amandum, etiam si supponatur amor ab ea non effici, sed duntaxat in illa recipi quia amor est prior cognitione non solum logicè, atque in subsistendi consequentia verum etiam physicè, ac naturæ, & causalitatis ordine; eò scilicet quod voluntas in ratione amantis constituatur intrinsece, & essentialiter per hoc quod obiectum amoris sui cognoscat; quare si obiectum non cognosceret, quamuis amorem eius sibi vnitum, ac diuinitus infusum haberet, in eo tamen euentu non amaret: defectu enim cognitionis esset subiectum incapax amandi: denominatio autem amantis non solum formam subiecto vnitam, verum etiam capacitatem subiecti, cui vnitur, intrinsece complectitur. Hinc est ut prius natura esset voluntatem cognoscere, quam illam merè passiuè se habere; haud aliter ac omnis pars constituens toto constituto prior est: ratione ergo huius prioritatis cognitio ad amandum dirigeret, etiam cum voluntas sine efficacia propria amaret.

126

Tertiò dici potest etiam satis probabiliter, cognitionem dirigere voluntatem ad amandum, quamvis hæc ad amorem merè passiuè supponatur se habere: nimirum quia cognitio est conditio sine qua voluntas amorem recipere etiam diuinitus non potest: atque adeo, cum intrinseca sit voluntati, eam ad amandum, siue, quod perinde est, ad recipiendum amorem disponit: cognitionem autem disponere est ad amandum dirigere intentionaliter: vnde cognitio diriget ad amandum tametsi supponatur disputandi gratia voluntas duntaxat recipiens amorem, eiusque nullatenus effectiua. Confirmatur, & declaratur: accidentia recepta in materia eam physicè disponunt ad hoc ut à forma animetur viuificetur, aliaue ratione substantialiter compleatur: & tamen materia respectu formæ, ad quam ita disponitur, merè passiuè se habet: cur ergo cognitio voluntatem ad amandum intentionaliter disponere, aut dirigere nequeat? tametsi voluntas

voluntas respectu amoris ad quem disponitur merè passivè se habeat, eumque minimè efficiat.

127 Hinc ad confirmationem argumenti respondendum est, ne diuinitus fieri posse ut amor voluntati vniatur, eive à Deo infundatur absque eo quod pro priori naturæ signo eam cognoscentem prævideat diuinus intellectus. Quod autem opponitur, cognitionem tum necessario non antecessuram in præuisione diuina atque naturæ ordine actum amoris, quatenus esset à Deo, nec quatenus esset à voluntate creata, vanum ac friuolum est: nam sicuti dispositiones accidentariæ naturæ priores sunt introductione formæ substantialis, non quod causam efficientem ad formam disponant, sed quod eam à tali causa recipiendam præparent; ita similiter in euentu nostræ disputationis cognitio creata necessario antecedere deberet infusionem amoris, non quod ad amandum intentionaliter dispoeret, aut quod in æquo est dirigeret, sed quod in voluntate ad receptionem amoris à Deo foret intentionalis dispositio, nec tam Dei quam voluntatis directio, eaque verissima.

128 Hæc dicta sunt iuxta tertiam argumenti, in quo versamur solutionem. Namque iuxta primam eius solutionem responderi posset ad eius confirmationem fieri quidem diuinitus posse, ut voluntas pro priori naturæ ad cognitionem obiecti, eius amorem recipiat: in eo autem euentu prius natura amaret quam cognosceret: ceterum prius Logice, & in subsistendi consequentia cognosceret, quam amaret: siquidē ea hypothese admittā valeret tamē semper hæc consequentia: voluntas amat in toto instanti reali, ergo cognoscit, non tamen è conuerso: quod sufficeret ad qualem qualem directionem cognitionis ad amandū. Hæc solutio videbitur alicui fortasse non improbabilis. Mihi tamen omnino non placet: nam quamuis pro eo priori, quo ante cognitionem obiecti voluntas amaret, nō ferretur in incognitum negativè, sed tantum in incognitum præcisiuè: at ne in incognitū hæc posteriori modo ferri posse voluntatem, longè verius est: quemadmodum enim pro priori quo intellectus cognoscit aliquid obiectum, ab huius veritate transcendentali præcindi non potest, sed necessum est ut iam tum intelligatur obiectum positiuè verum; ita similiter euenire non potest ut pro illo priori naturæ signo voluntas amet, quin pro eodem priori intelligatur obiectum ab ea cognitum nec sufficeret ad denominationē amantis non dari in voluntate carentiam cognitionis, sed opus est ne ab illa præcindi, cum tribuitur præfata denominatio. Quocirca melius potest responderi ad confirmationem principalis argumenti iuxta eius secundam solutionem, casu quo amor in abstracto sumptus antecederet in voluntate cognitionem obiecti, fore tamen è conuerso ut cognitio esset ordinè naturæ prior amore in concreto sumpro, siuè denominatione amantis; videlicet quia illam tanquam pars intrinsecè constitueret: hæc, autem antecessio sufficit ad directionem: nec enim est cur hæc semper sit ad amorem, & non possit aliquando esse ad duntaxat amandum.

129 Hactenus opinio Patris Vasquez citata disp. 6. cap. 5. Et quorundam quos refert. Aliorum sententia est, intellectiōnem ut sic, & quācūque in partem à solo Deo poni posse in potentia vitali, eique quāvis merè passivè se habenti, ac nihil omnino agenti tribuere posse veram denominationem intelligentis. Ita Okamus in 1. dist. 1. q. 2. Concl. 2. Gabriel ib. art. 2. conclus. 4. Paludan. in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. & 3. Alliacensis in 1. quæst. 2. art. 1. Marfil. in 3. q. 10. R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

art. 2. Maior in 3. dist. 14. qu. 2. Scotus in 3. dist. 13. §. ad 3. quæst. Andreas de Vega lib. 3. in Concil. Tridentin. cap. 8. Gregorius in 1. dist. 42. q. 1. art. 2. Arriaga disp. 6. de anima. sect. 2. subsect. 4. necnon alij Doctores Scolastici tum antiqui, tum recentiores. Sed immeritò: nam ut constat ex dictis supra intellectio aliqua nempe actiua consistit in actione immanenti potentia vitalis, & intellectiua: eiusmodi autem intellectiōnem haud posse etiam diuinitus poni in potentia vitali nihil immanenter agente videtur manifestum: Quid enim id esset quam idem à seipso separari, & actionem immanentem sine actione alibi collocari: quo tamen nihil magis impossibile aut absurdum.

130 Mea ergo sententia est, intellectiōnem bifariam sumi posse, nimirum aut pro sola actione immanenti, ac vitali, aut pro sola qualitate. Quod si intellectio in primò sensu usurpetur, ne diuinitus quidem absque actione, & conatu intellectus in intellectu poni potest, ut breuiter ostensum est numero superiori, utque latius ostendi potest ex iis, quæ supra cap. 6. in impugnatione septimæ sententiæ de essentia intellectiōnis disputauimus: atque pro hac opinionis nostræ parte laudari possunt omnes illi Auctores qui intellectiōnem in actione constituunt, & certè nec pauci sunt, nec ignobiles. Sin autem intellectio in posteriori sensu sumatur, prout videlicet in qualitate absoluta consistit, & non tam actiue quam passivè; ita quidem poterit diuinitus collocari in intellectu, eumque denominare intelligentē, absque eius efficacia, & concursu vitali, haud fecius ac calor v. g. in igne absque ignis actione, & influxu per miraculum poni potest à solo Deo: quæ enim utrinque disparitatis ratio est: si quæ certè esset maximè quia qualitas illa in qua intellectio passiva sita est in eo differt à calore quod nequeat diuinitus non esse vitalis & coniuncta cum attentione ad suum obiectum; quod item qualitas volitionis esse debeat voluntaria: atqui hanc rationem discriminis aliasque id genus nullas prorsus esse demonstratum est supra: neque non etiam ex superioribus facillimè solui possunt argumenta omnia quæ opponi possunt aduersus nostram sententiam, quoad eius utramque partem. Proinde, &c.

CAPVT XI.

An intellectio ut sic proprium subiectum essentialiter postulet, ita ut in alieno, & ad intelligendum incapaci ne diuinitus possit collocari.

131 **A**sserendum est primo, intellectiōnem qualitativè seu passivè sumptam in alieno subiecto v. g. in lapide diuinitus collocari, & ab intellectu separari posse. Ita Hurrard. in locuplet. edit. d. 6. de anim. l. 1. §. 123. & Gabriel in 3. dist. 3. q. vnica n. 2. Asserendū est 2. intellectiōnem, siuè imaginem obiecti, esse non qualitas absolutam, sed modum in alia re situm fore, nihilominus poni posse in extraneo subiecto, non tamen nisi proprio subiecto simul contento: ut si Deus intellectum nostrum cum lapide penetraret: tunc enim intellectio intellectui seipsa vnita vniri posset lapidi per vnionem distinctam: haud aliter ac vnio essentialis formæ ligni cum materia ita comparata est, ut quævis eius pars alteri per aliam vnionem continetur, tamen per seipsam subiecto suo vniatur, in eoque recipiatur: Ecce